

www.e-rara.ch

Theses medicae de dysenteria

Mosellanus, Johannes

Basileae, 1596

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-8027>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

THESES MEDICAE
DE DYSENTERIA,

Quas
AVSPICE AC PRAESIDE

DEO TER OPT. MAX.

Ex Decreto & Autoritate Am-
pliss. Medicorum Ordinis in
inclyta Basiliensium
Academia,


pro consequendis
in Facultate Medica insignijs ac
privilegijs Doctoralibus

Publicè disputandas proponit

IOANNES MOSELLANVS
GAYLNDORPHENSIS
Lympurgicus, Fr.

Ad diem XXI. Mensis Maij.

in Aula Medicorum hora consueta.



Basileæ, Typis Conradi Waldkirchij.

CLD IO XCVI.



ILLVSTRIB. AC GE-
NEROSIS DOMINIS DOM.
ALBERTO; ac DOM. CAROLO
Fratribus Germanis

Baronibus à Lympurg Sacri
Romani Imperij
Pincernis. Hæreditarijs sem-
perq; Liberis.

*D. Dominis suis elementissimis perpe-
tua obseruantia colendis,*

Hanc suam inauguralem de
Dysenteria disputationem
Humilimè

Offert, Dedicat, Consecrat.

Ioannes Mosellanus
Gayndorphenfis

AVCTOR.





DE DYSENTERIA.

THESIS I.

Δ *Τὸ ἐν τῇ ἑλ., qua & Latinis quibusdam à Græcis mutua-
to vocabulo DYSENTERIA appellatur, ab affe-
ctâ parte nomen inuenit, ut testis est Galenus lib. 2. Meth. med.
cap. 1 & Hippocrates 3. de Dieta. Celsus l. 4. c. 15. Tormina:
Calius Aurelianus l. 4. tardar. passion. c. 6. Rheumatismum
intestinarum vocat. Vulgus, cruentam alui deiectionem, &
difficultatem intestinarum nuncupat.*

II.

*Cum autem huius quatuor reperiantur differentie, Gale-
no, l. 3. de Symptom. causis, c. 4. distinguende ea inter se sunt.*

III.

*Vna fit sanguinis in vniuerso corpore ex æquo redundan-
tis effusione; qui copia sua vasa distendens, eorum orificia ape-
rit, atq; per intestina per circuitus quosdam (ut Galenus lo-
quitur) demittitur, propter mutilatum vel deficiens aliquod
membrum, ijs quibus magnū aliquod membrum, pes vel bra-
chium fuerit præcisum, euenit. Hæc cruenta deiectionis spe-
cies plerumq; solet corripere mulieres, quibus menses constite-
runt, Gal. 5. de loc. aff. c. ult. Et viros si hæmorrhoides suppres-
sæ sunt, aut sanguis ex naribus diu non proruperit, aut si alia
quæuis consueta euacuatio, ut & exercitatio, ommissa fuerit.
Appellatur hæc cruenta deiectio Hippocr. l. 4 de Articul. text.
40. Dysenteria, ut refert Galenus in comment.*

IV.

*Alterâ Hepatica Dysenteria dicitur Galeno, Alex. Tral-
liano l. 8. c. 3. & alijs Medicis, nempe quando sanguis in iecino-*

re deterius elaboratus in speciem loturæ carniū recens matatarum dilutus, aquatusq; per intestina se submittit, & quidem copiosè ac confertim, circa inflammationem tamen, Gal. 6. de loc. affect. cap. 2. Idg. vsuuenit, retentrice, alteratrice uè hepatis facultatibus vitialis. Paulus Aegin. l. 3. c. 42. & 46.

V.

Tertiam Paulus loco citato sub prima specie, quam modo recensui complexus videtur: Galenus tamen peculiarem priuatamq; eius non immeritò fecit differentiam; siquidem hæc non copia sanguinis venarum ora rumpentis euenit, sed humorum acrimonia, vasa erodentium, generatur.

V I.

Tertia itaq; differentia seu species est, quando sanguis melancholicus, splendens, nigerq; ut Bitumē Iudaicū per aluum quoq; copiosè excernitur 3. de Sympt. causis, 4.

V I I.

Superest quarta; quæ nomine Dysenteria proprio significato digna, ut docet Gal. 6. de loc. aff. 2. & 3. de Sympt. causis 4. Hanc Galenus in definitionibus Medic. & Paulus l. 3. c. 42. ἐλκυστήν καὶ τήριον, describunt.

I I X.

Quæ cum cæteris frequentior in genus humanum seniat, maiusq; periculum inducat, de hac præsentī disputatione agere mihi visum est.

I X.

Definimus igitur illam ex Galeno, 6. de loc. aff. 2. & 3. de Sympt. causis, 4. Vlcus intestinorum.

X.

Breuis sanè ac concisa hæc definitio est: perfecta tamē suis, ut arbitror, numeris.

X I.

Moderni quidā scriptores Dysenteriam in hunc definiunt modum: Dysenteria est fluor intestinorum ab acrioribus humoribus exulcerantibus eorum substantiam, procreatus.

Verūm

XII.

Verum (quod pace eorum dixerim) meo arbitratu, definitio illa ex omni parte vera non est: neque enim fluor est Dysenteria, sed *Dysenteris* quaedam, quam oportebat sub morbi cuiusdam genere poni. Neque ab acrioribus duntaxat humoribus exordium sumit, sed & quandoque à deuorato metallo, Adamante, chrystallo, id quod & apud illos in confesso est. Vt nihil interim dicam, de fluoris ancipiti significato; nam & de cruore, qui ex ulcere delapsus excrementa inficit, & de humore acri exulcerante, audiri eadem vox potest, ut & de intestinorum defluxu, & eorundem leuitate.

XIII.

Quod si fluor ille, qui intestina ulcerat, Dysenteria foret, utique eo sublato Dysenteriam sanaueris. Verum, contrarium docet Galenus l. i. de loc. aff. c. 2. Vbi disertè ait; Dysenteriam esse ex eorum morborum classe, quorum causam, affluxum videlicet humorum acrium, licet remoueris, morbum tamē non ita sanaueris. Postremò, fluori huic contraria est adstrictio alui, quæ, uti docebimus, in Dysenteria sananda reuera non indicatur, sed satis in hanc rem.

XIV.

Hoc unicum tamē nostram definitionem, nisi tollamus, argumentum diminuere posset, quod & Tenesmus, attestante Galeno, 6. de loc. aff. 2. & 3. de Sympt. causis, 4. Intestini Recti vlcus sit: quod si verum est, vel & ille Dysenteria erit, vel definitio nostra manca & mutila. Verum respondemus, Tenesmum vlcus non necessariò esse, sed ut plurimum inflammationem cum molli ac laxo tumore (Oedema vocamus) ut Paul. l. 3. c. 41. scribit, unde excrementis exitus non patet. Quod si verò cum ulcere intestini est, vel occupabit illud extimam ani partem, & non tam ad intestina pertinebit quàm ad musculos & membranas, quæ sunt ad anum: vel internam, & tùm iurè Dysenteria dicendum vlcus illud est, seu dysenteria cum Tenesmo, quod plurimum solet cōtingere: Vnde Aëtius

atrabil.3. Scrm.1. cap. 43. Vbi Dysenteria Prognostica recenset,
ait, vlcus si in intestino recto fiat facile curatu esse.

X V.

Differentiæ huius vlceris petuntur primò à loco affecto;
ita vt aliud dicatur intestini plenioris seu crassioris vlcus: a-
liud tenuiorum. Dein à membranis, quod aliud membranam
interiorem arrodit, aliud penitus insidet. Tertiò à materia,
seu causa vlcerationis: ita alia Dysenteria, à melancholia, a-
lia à bile dicitur: alia aliam ob rationem differentiam facit.
Postremò, quæ Essentialis differentia est, aliud simplex vlcus
est, aliud compositum. Componuntur autem cum hisce vlceri-
bus, vt & cum alijs, Febres, abscessus, intemperies, inflamma-
tiones, corruptiones, & gangrena.

X V I.

Consultò omittimus ceteras vlcerationis differentiæ, quam
do scilicet aiunt, primam Dysenteria speciem esse, si quid mu-
colenti intestinis abradatur: alteram si adeps intestinorum e-
geratur: tertiam verò si cum cruore & pellicule excernan-
tur; sunt enim hæc non vt differentia à Galeno posita, sed vt ge-
nerationis eius exordia, quæ nos ita dignoscere & præsentire
docet Galenus 1. de loc. aff. 2. & 6. de loc. aff. 2.

X V I I.

Causæ. Fit autem Dysenteria vel per se, vel per con-
sensum.

X I I X.

Quæ per se evenit, causas habet vel externas vel internas.

X I X.

Externa sunt Hippocr. lib. 3. aphor. 11. & lib. de Aëre, Aq. &
Loc. Aëris cōstitutio hyeme sicca & Aquilonaris; Vere autem
pluuiosa & Australis. Aër siccior etiam dysenterias genera-
re potest, eod. authore, 3. aph. 16. Cibi acriores ingestu, nē pere-
grini, vt ait Aëtius, vt sunt alimenta calida, acria, maximè
abstergentia, erodentia, incidentia, pharmacorum validorū
atq; Venenatorum potus, vti est, Diagridium, Aloës, aut pulpa
Colo-

*Colocynth. Gordonius, de passionibus Stomach. partic. 5. cap. 14. Item metallorum, Vitri, crystalli, Adamantis, deuotiones, & alia eiusmodi; quibus si etiam quispiam in morbo aliquo v-
satur, necessariò ex illis Dysentericus fiet, inquit Caelius Aurel. l. 3. acutar. pass. c. 17. Quin etiam ex Antimonij exhibitione plurimos in Dysenterias incidere obseruauit Excellentissimus D. D. Massaria, Præceptor.*

XX.

Interne cause sunt humores qualescung, intus geniti, acrimonia sua vlcerantes, qualis est bilis flaua, mordax: melancholicus humor adustus: pituita salsa & acris. Addit Auicennas l. 3. fen 16. tract. 1. cap. 2. materiam sanguineam acrem, calidam, acutam, aut virulentam aut saniosam. Addunt etiam nonnulli duriora ac sicciora alui excrementa, sed rarò hæc in causa sunt, nisi cum humoribus iuncta.

XXI.

Ambigit Galenus l. 5. de Vsu part. qui fieri possit, ut intestina vlcus contrahant, quæ tamen alioqui naturali humorum stimulo irritata, statim exclusiones fecuum insitiunt: at respondet, in fractuosas intestinorum circumuolutiones seu spiras in causa esse, ut humores transitu suo acrimoniâ, vel imprimant intestinis, vel tenacius illis inhærescant.

XXII.

Per consensum verò fit Dysenteria, aut totius corporis, ut in terminatione seu sine febrium, aut partis cuiusdam principis aut nobilis, ut capitis, Hepatis, Ventriculi, mesenterij, Lienis, Venarum magnar. sc.

XXIII.

SIGNA. aut Diagnostica sunt, aut Prognostica.

XXIV.

Diagnosticorum alia futuram Dysenteriam arguunt, alia præsentem: quædam tenuiora intestina vlcere obsideri, quædam pleniora declarant.

XXV.

Futuram coniectare docet Hippocr. Aphorismis superius adductis.

XXVI.

Qua praesens est, vel affecta, vel perfecta Dysenteria est.

XXVII.

Affectam saltem indicat mucus vel adeps excrementis admixtus: Tenesmus, qui quamlibet ferè Dysenteriam praest.
Aëtius.

XXIX.

Iam perfecta Dysenteria nota sunt: dolor vehemens seu Tormina, unde Latinos hanc affectionem Tormina dixisse reor: Excrementa cruentata, praesertim si ulcus ad venas pervenerit: pellicularum (quas Hippocr. & Gal. Φέλικτα α. i. Ramenta vocant) ab intestinis abrasarum deiectiones: Tenesmus, febricula, & alia.

XXIX.

Tenuia intestina si vitium fecerunt, dignoscitur ex dolore eximio, qui supernas partes ad umbilicum habet: cruor, qui subsidet, accurate excrementis permixtus est: Quin etiam magnitudo reiectarum pellicularum, si quid aliud certè locum affectum in Dysenteria declarat, ut testatur Galenus l. i. de loc. aff. sub initium; etenim, inquit Galenus, Si intestini Tunicā per Dysenteriam conspexeris, sitq; latitudine & crassitudine in ijs, quae à tenuioribus solvuntur multò maior, non abs re conicies ulcerationem in crassis intestinis consistere. Apud Aëtium plura eiusmodi signorum discrimina sunt, ut excrementa biliosa, & porri colorem habentia, sitis, febris, stercus crudius.

XXX.

Crassiora intestina vexata, inferioris ventris ad pubem dolor sequitur: excrementa cruoris permixtione variata non sunt, sed seorsim quandoq; ille emittitur vel supernat, Gal. 6. de loc. aff. 2. Tunica, ut modo dictum, est amplior: Excrementa mu-

*ea mukum quendam pinguedini similem continent : Inexplē-
bilis edendi cupiditas & sitis agrotos exercet . Aëtius . Media
intestina affecta medio modo se habent . Gordonius .*

XXXI.

*Prognostica succedunt , qua vel salutifera vel mortife-
ra sunt .*

XXXII.

*Qua salutem sanationemq; ostendunt , licet pauca sint : Ve-
ra enim Dysenteria , de qua nos hactenus egimus , à magno pe-
riculo nunquam abest , alia tamen alijs periculosior est .*

XXXIII.

*Qua modo incipit Dysenteria nec dum perfecta est , ad cau-
sa sublationem statim tollitur , etiam sine Medici ope , Galen.
1. de loc. aff. 3. Illa etiam , qua à causis externis oritur , faci-
lius curatur .*

XXXIV.

*Qua rectum intestinum & colon obsidet , curatu facilius
existit . Aëtius . Siquidem intestinum rectum & secando , &
refecando & consuendo & urendo & putrefaciendo , etiamsi
grauissima haec esse videantur , nihil laeseris . Hippocr. l. de Ha-
morrhoid. ad initium .*

XXXV.

*Qua ab acribus cibis & bile flaua generatur , sanabilior est ,
ex Hipp. & Gal sententia .*

XXXVI.

*In profluuijs alui mutationes inuuant nisi ad mala mutatio
fiat . Hippoc. 2. aphor. 14 .*

XXXVII.

*Alui profluvia , qua sine febre existunt & breui durant
tempore , mitia sunt . Id. 2. praediction .*

XXXVIII.

*Si Dysenteria robusto adhuc corpore curetur , spes est fuga ,
Id. l. de affectionib .*

XXXIX.

A mania Dysenteria vel hydrops vel mentis alienatio, bonum. 7. aph. 5.

XL.

Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum. 6. aph. 48. Idem repetit in coac. pr. anot. sed paulò distinctius ubi inquit, Dysenteria nō longa splenicis commoda est, longa verò mala. Idem asserit, 6. aph. 43.

XLI.

Letifera signa sunt, quæ exitium egroto portendunt: Dysenteria enim si inueterauit, aut tollit hominem aut excruciat, inquit Celsus l. 4. c. 15. Fit autem hic morbus scilicet Dysenteria, inquit Hippocr. l. de affection. & longus & laboriosus ac lethalis; nam si quidem robusto adhuc corpore curetur, spes est fugæ; si verò colliquato iam & ventre omninò exulcerato, nulla vitæ spes superest.

XLII.

In tenuibus intestinis difficulter sanatur dysenteria. Aëtius. In hunc sensum scribit Hippocr. 6. aph. 24. si quod gracile intestinum perfectum, i. discindatur, non coalescit. Idem repetit eod. libro aph. 18. Intestinum ieiunum ulceratum, difficile aut non sanatur. propter magnitudinem & multitudinem vasorum illius partis, habet & tunicam neruosam tenuem, recipit bilem synceram vniuersam, & est vicinum Hepati. Gal. meth. med. 4.

XLIII.

Si laboranti Dysenteria veluti caruncula deiciantur, mortiferum est. 4. aph. 26. ea enim pars cicatricem non admittit, Galenus in comment. Quanius l. 4. de vs. part. scribat multos fuisse seruatos putrefacta tunica interiori, sed rarò contingentia exempla sunt.

XLIV.

Falluntur etiam hac in re discernenda nonnulli, qui albiantem intestinis abrasum adipem pro tunica habent, sed ad ignis

ignis experimentum hîc veniendam, liquatur adeps, caro nigrescit, siccatur &c.

XLV.

Si ab atra bile inceperit mortifera etiam dysenteria habetur. Hipp. 4 aph. 24. quia non differt à cancro, Gal. in cōment. Aëtius putat verum esse illum Hippocratis Aphoris. nisi per crisin educatur: ego verò nunquam non veram esse eam existimo: si enim per crisin euacuatur atra bilis, vlcusq, nullum facit, neg, dysenteriam fecisse probabile est, sin verò ulceravit intestina, lethalis utiq, erit, siue per crisin siue alia ratione eò delata fuerit.

XLVI.

In longis Dysenterijs cibi fastidium malum & cum febre peius, 6. aphor. 3.

XLVII.

Insanabilis etiam est dysenteria quam Lieenteria sequitur, 7. aph. 16. nempe ut Gordonius sentit, quia villi intestinorum quibus continendi vis est, ulcere exesi sunt.

XLIX.

Asyncera deiectione dysenteria malū, 7. aph. 23. accipiens sine dubio hic aphorismus est, ut arbitratur Duretus de Dysenteria, quæ febre sequitur, significat enim nativam humiditatem à febrili calore absumptam.

XLIX.

Dysentericis vomitus biliosus in principio malus est, Hipp. in Coac. prenot. Idem eod. loci, Dysenteria cronica splenicis malum portendit, id & affirmat, 6. aph. 43.

L.

Quicumq, Lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his superueniente longa dysenteria, Aqua intercus, aut leuitas intestinorum aduenit, emoriuntur. 6. aph. 43.

LI.

Si in Dysenteria post sinistram aurem appareat pustula similis orobo, & cum magna siti, infra 20. diem moriuntur. Gordonius.

LII.

Signa his addi possunt alia ex Aëtio loco saepe citato, & A-
uicenna 16. tract. 1. cap. 2. & alijs. Et ut compendio dicam, ma-
lum illud dysenteriae signum esse, si grauiora Symptomata illi
connexa fuerint, viresq. insigniter fracta. Siquidem dysente-
ria, quae cum febris inuaserint, aut varijs alui egestionibus,
aut cum hepatis inflammatione, aut praecordij aut ventris,
aut quae dolorosa fuerint, aut cibos intercipiunt, sitimq. indu-
cunt, haec omnes male sunt, & qui sanè horum malorum pluri-
ma habuerit, citissimè peribit, cui verò paucissima talia affuc-
rint, huic plurimè spes est. Hippocr. l. 2. praediction.

LIII.

CURATIO.

Cum igitur haecenus à nobis ostensum sit, dysenteriam esse
Vlcus: eius curationem haud iniuria ad ceterarum vlcerum
generalem curationis similitudinem instituiamus.

LIV.

Diuersam tamen illam facere iuxta causarum vlcera-
tium discrimen, videtur. Aëtius.

LV.

Aliter enim curat eam dysenteriam, quae euidentium
causarum insultu orta est: aliter eam, quam interna cause
progenuerunt.

LVI.

Quae ab euidentibus causis, ut à veneno seu vitioso medi-
camento inducta est dysenteria, secundū Aëtij consiliū, obtu-
dentibus remedijs curatur, qualia sunt ex cibis, Prisana suc-
cus, aut Halicæ succus cum anetho decoctus, aut palmis aut
mali punici acinis. Medicamenta autem pro venenatione
varia sunt, de quibus consulendi authores, & praesertim Aë-
tius ferm. 3.

LVII.

Sin verò vel vitrum, vel metallum aliquod dysenteriam
effecerit, iuuandus est, inquit Aëtius, earum rerum delapsus,
vel.

vel medicamentis lubricantibus, quale est ex doctrina authoris serm. præfato, cap. 46. maluc aut Sem. Lini succus: vel Medicamentis efficaciter purgantib. uti consuevit Antylus Medicus in eo, qui annulum sculptura asperum deglutiebat; deinde quod ulceratum est abstergendum, consolidandumq. esse; de qua re parum postea fusius agemus.

L I I X.

Nobis tamen illam dysenteria curationem dicere religio videtur; siquidem præseruatio duntaxat est à dysenteria: Que si facta est, nihil vel parum ab eius dysenteria curandi ratione differt, que internarum causarum concilio generata est: unde non mirum si ceteri authores priuatam eius sanationem docent nullam.

L I X.

Si vlcus illud ob humorum acrimoniã factum sit, curari illud nequit, nisi illa humorum redundantia auferatur. Galen. 4. meth. 2.

L X.

Euacuandus autem humor peccans est, & si quid reliquũ, reuellendum, deriuandumq. aliò; & denique partes suscipientes corroborande sunt, antequam ad vlceris sanationem perueniamus.

L X I.

Euacuamus medicamentis clementer purgantib. ut si bilis fuerit, Rhabarbaro & Myrobalanor. decocto: ita & naturam iuuamus, ne diutino humorum illorum fluxu intestina magis magisq. vlcerentur: Sin pituita vel melancholia in causa fuerit, appropriatis remedijs rectè educuntur.

L X I I.

Humores hic nulla ratione preparãdos arbitramur, quandoquidem in motu sunt, qui non temerè sistendi Syrupis illis preparantib. sunt; sed statim purgantib. illos, res agenda est.

L X I I I.

Nisi quis acrimoniam humorum cõtemperandam conten-

dat, qualem preparationem bilem desiderare ante euacuationem nonnulli asserunt, id quod etiam nos facile concesserimus, praesertim verò lactis usum, vel potu vel per chystrem infusum.

LXIV.

Vbi tamen animaduertendum, medicamenta illa torrefacta improbè adhiberi, dum adhuc cacochimiae indicatiolum habet, quae expurganda est: non eam ob causam, quia è p. n. p. a, ut alij arbitrantur, conquirunt torrefactione illa, sed quia vis purgatrix deperit. Vide Petr. Paul. Peredam in scholys ad Ioan. Paschali meth. med. l. i. c. 38. Vbi erroris insinuat doctissimos medicos, Holleriũ, Rondolet. & Amat. Lusitan. quod purgantia torrefieri nolint.

LXV.

Expurgato ita corpore reuellendum est ad partes supernas, ut per Vomitus, si Ventriculi oris imbecillitas nulla verenda sit; deriuandumq; per diuretica remedia, ut suadet Celsus l. 4. c. 15.

LXVI.

Rectè enim tum Galenus monet lib. 4. meth. med. c. 6. Reuellendum esse ad contraria, utpote, si vlcus in superiorib. fuerit, per inferiora purgante: si in inferioribus per superna.

LXVII.

Hac rursus cautione opus esse Medicorum vulgus arbitrat, nimirum distinguendum esse putant, sit ne fluxus ille, cui medemur Criticus an Symptomaticus.

LXIX.

Hunc rectè quandoq; reuelli, illum nunquam existimant.

LXIX.

*Ego verò sentio, Hippocratis autoritate fretus lib. de vict. ratione in morb. acut. nullam dysenteriam repellentib. medicamentis, supprimendam statim ab initio esse, ne humor ille ad partes nobiliores repulsus, maius exitium machinetur. Verba Hippocr. hac sunt in Coac. prae not. Dysenteria intempe-
stue*

finē suppressa, abscessum in costis, aut visceribus, aut articulis facit. Et iterum loco priore citato, ita scribit: Dysenteria sedata abscessum aut tumorem aliquem faciet, si nō ad febres aut sudores & urinas crassas & albas ac valde perspicuas, aut ad tertianas, aut ad varicem, aut ad testem, aut ad crura & ad coxam dolor decubuerit. Eodem pertinet quod dicit Hippoc. alio in loco Coac. pranot. Dysentericis vomitum biliosum in principio malū esse; adde quod materia illa transmittitur ad partes imbecilliores, & per loca à natura expulsionī destinata. Consule Hollerium de quibusdā histor. Dysenteriae intempe. finē suppressa quid euenerit.

L X X.

Supernacanea igitur hoc in loco distinctio illa est, uterq; enim humor & qui per crisin & qui symptomaticē affluit, medicamēto purgante rectē educitur, videlicet per loca cōsue- ta, quorsum natura tendit; neuter autem rectē ab initio repellitur.

L X X I.

Hic eorum peccatum praterire non possum, qui in lactis recentis exhibitione tantum confidunt, ut eius potu biliosos acresq; humores, educi posse credant, Dysenteriamq; planē sanari: quod si enim ea ratione euacuat, ut illis visum est, quod serum cōtineat, quin imò serum lacti preferendum arbitremur, in eo enim non adeo verenda sunt ea incommoda, quae Hipp. recenset l. 5. aph. 64. Vbi inquit, Lac dare caput dolentibus malum, malum verò & febricitantibus & quibus Ilia sit. spensa murmurant, & siticulosi: malum autem & quibus in febribus acutis biliosa sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autem & tabidis sc. & Galenus in comment. addit, quia facile alteretur in nidorosa qualitate; ut interim nihil dicam de Sero utilitate, quam insignem habere in dysenteria testatus est Gal. lib. 10. de simpl. med. fac. cap. de Sero.

LXXII.

Confirmamus intestina ex illis Remedijs, quæ comiter astringunt, ut est Rhabarb. torrefactum Sach. rosac. antiquū: & quæ illæ oblinunt, ne bilis seu alterius humoris acrimoniā amplius sentiant, utpote est ex Celso, Lac, Adeps liquata, oleum cum buthyro. Tragacanth. amyllum. Gal. 12. meth. 1. commendat Seuum hircinum, Succum Tragi, vel cerat. Rosac. per inferius inditum. Aëtius, Lac. coctum ad Seri consumptionē, illud enim acrimonia vacat, & exhibetur, inquit Galen. 3. de Alim. fac. quibus venter acriū excrementorū de morſu infestatur, ex quo manifestum est, eos, qui Alexandr. hac in re accusant, eod. argumento & Galenum reprehendere.

LXXIII.

Deniq; ad ulceris curationem descendendum: Quod uti dictum est, vel Simplex est, vel Compositum.

LXXIV.

Simplex vlcus si sordidum fuerit abstergendum est, & postea consolidandum, cicatrixq; firmanda.

LXXV.

Abstergunt decoctum hordei cum cortice, decoct. cicerū, mel. Sachar. rubr. Lac preparat: Stercus canin. Galenus. Vel si valentiora volueris, unguenta illa infundi possunt per sedem, quæ abstergendi, purgandiq; vlcera vi valent, ut unguentū Apostolor. unguentum de Thutia, Aëgyptiac sc. Garum etiam vlcera putrescentia Dysentericorum sanat: Cochlea si tota cū testis urantur, admista galla, omphacitide, & parum leucopiperis, mirifice prosunt. Gal. 1. 11. de simp. fac. Med. fac.

LXXVI.

Lac preparatur variè ad dysentericas affectiones, placet tamen præter Aëtij modum, & ille, qui à Gal. 10. simp. m. f. de stercore canino traditur.

LXXVII.

Addit autem Aëtius lacti nonnihil mellis, vel quia lac præsertim caprinum sine melle sumptum periculosum est, attestante

testante Galeno, in lib. de cib. boni & mali succi. c. 3. & l. 3. de alimentor. fac. c. de lacte, vel quia ulcera abstergerendi vi præditum est mel, ut inde obiurgandi Aëtium mihi nulla videatur occasio, nisi quod ineptè dicunt, mel in bilem facillimè verti, Ergo quouis modo exhibitum in bilem migrabit? nō opinor.

LXXIX.

Consolidandum postilla ulcus est Styptica & astringenti potentia præditis remedijs, quæ parentur ex Rosis, Balauftijs, sumach. Bol. armeno, Terra Sigill. Sanguine Dracon. & alia eiusmodi, quorū usu postea & cicatrix firmari quandoq. pōt.

LXXX.

In Italia Medici ad abluenda intestina & abstergendas sor des quascunq. absq. morfu, ac demum ad consolidanda ulcera Intestinor. præsentaneo Remedio quam felicissimè per superiora & inferiora omnibus dysentericis communiter Aquam illam Tettucij (quæ oritur spontè in Hetruria) exhibent: Quod præter propriam experientiam & Præticorum auctoritatem attestatur Andr. Cesalpinus, l. Quæstion. medic. quæstione 21. Idè l. 2. de medic. fac. c. 10. Fallopius l. de mineralibus & Thermis, cap proprio. Vidus Vidius Florentinus, l. 9. de curatione membratim, intitulato, cap. 24. de Dysent. & Tenes. hanc prædictā Aquam Tettucianam, ut & aliam aquam, quam Balneoli vocat, ad deturbandos acres humores & sordes ulcerum detergendas, atque ad consolidandum & cicatricandum etiam mirificè commendat.

LXXX.

Medicamenta septica naturā prædita, quæ ex Auripigmento, Arsenico & calce parantur, ut vehementiora, quam intestinorum præsertim ulceratorum natura ferre posset, relinquimus, nisi ubi cætera respuens morbus exitium parat ægrotanti, in quo casu benè correctā eorū malitiā, injici ea per anum posse, cum Veterib. existimo.

LXXXI.

De compositis ulcerib. nihil est, quod dicam, curantur enim

etiam ad exemplum reliquorum ulcerum compositorum seruandum³ est preceptum Galeni de compositis morbis. 3. method. med. 9.

LXXXII.

Modus exhibendi remedia seruandus est talis, ut si crassiora intestina ulcerata sint, per sedem injiciantur remedia: sin verò tenuiora intestina affecta sint per superna, videlicet per os sumantur. Galenus 4. meth. 5. & 1. de loc. aff. 4. Paul. l. 3. c. 42. Alexand. Trall. l. 8. c. 3.

LXXXIII.

De sanguinis missione res item controuersa est apud Medicos: nos tamen ut breuiores simus, cum Horatio Augenio, Praeceptore nostro, l. 10. Epistolar. 3. hoc temperamentum seruandum statuimus, ut neq³ omni, neq³ nulli Dysenterico Vena aperiatur.

LXXXIV.

Quando enim à pituita salsa, seu bile flaua ortum duxerit dysenteria, non facile eam admittimus: sin verò cum inflammatione vel febris fuerit, aut nimius sanguinis fluxus, egrotantem exerceat, rectè reuelli posse sanguinem secta vena asserimus. And. Celsus. l. 2. quest. med. 2. c. vi & Trallianus permittit, si iuuenis fuerit, tempus, etas, viresq³ permittant.

LXXXV.

Aperienda erit vena brachij interna, atq³ de consilio Aëtij, & aliorum Humeralis, quæ si non appareat, Media necessariò tundenda est: sanguis repetitis vicibus emittendus, ne corpus conturbetur.

LXXXVI.

Victus ratio pro humoris peccantis varietate, seligenda est: communia tamen quedam de illa precepta seruanda existimo.

LXXXVII.

Cibus sit quantitate paucus; multi enim dysenterici paucocibo

eo cibo indigent, inquit Aëtius & Abic. Qualitate abster-
gens, quales parari possunt ex lacte pulmentaria & oryza,
amylō, similagine, ptisana torrefacta, addito Sem. plantagi-
nis & parum Cinamomi, cocta cum Aq. chalybeata. Item pul-
tes auenaceæ, quæ nonnullis hominibus in dysenteria pro ex-
perimento probantur. Carnes ob difficultatem concoctionis
ab Aëtio non valdè probantur; sitamen diuturnum malum
sit, carnesq. eger appetat facilioris coctionis eligende sunt.

LXXXIX.

Potus sit vinum rubrum subastringens, si neque inflamma-
tio aut febris huic morbo coniuncta sit. Vino huic commisceri
potest Sachar. rosac. antiq. vel dilui vinum potest ex Aq. cha-
lybeata. Ceteri vtantur Aq. hordei aut pluuiæ, aut commu-
ni chalybeata, Lactē preparato, Cereuisia.

LXXXIX.

Omni cura & studio deuientur salsa vel valdè salita, ace-
rosa, mordacia, calida, vt aromata, & hæc ratione ulceris.

XC.

Aër humori peccanti contrarius maximè requiritur: qui
si talis non fuerit cæli ratione, tunc arte corrigendus est.

XCI.

Somnus Dysentericis optimum remedium. Aëtius. Quod
si is agrotantem destituerit, conciliandus est medicamentis so-
poriferis, qualia sunt Syrupus de papauere, Violaceus, Myr-
tillorum.

XCII.

Oportet etiam in primis conuiescere, inquit Celsus, si-
quidem omnis agitatio exulcerat: motu quinetiam corpora
conturbantur; Exemplo est Nauigatio. Hippoc. 4. aph. 14. Item
in epistola de Feratri usu.

XCIII.

A Venere abstinendum esse quis non videt?

XCIV.

Deniq, animi pathemata, qua spiritus humoresq, exagitant, fugienda omnia sunt, animusq, & corpus quiete componendus est. Et hæc ego de dysenteria, pro laudabili huius Acad. more proponere volui: plura enim & ingenij mei imbecillitas, Thesumq, ratio in presentiarum afferre prohibet.

Δόξα τῷ Θεῷ.

Finis.

